

Inuenit philippus nathanahel · & dicit ei · quem scripsit
moyses in lege & prophetae · inuenimus ihm filium ioseph ·
a nazareth · & dixit ei nathanahel · a nazareth · potest
aliquid boni esse · dicit ei philippus · veni & vide ·
vidit ihs nathanahel venientem ad se · & dicit de eo ·
ecce vere israhelita in quo dolus non est · dicit ei nathanahel ·
unde me nosti · respondit ihs & dixit ei · priusquam
te filippus vocaret · cum esses sub ficu · vidi te · respon
dit ei nathanahel · & ait · rabbi tu es filius dei · tu es
rex israhel · respondit ihs · & dixit ei · quia dixi tibi ·
vidi te sub ficu · credis · maius his videbis · & dicit ei ·
amen amen dico vobis · videbitis caelum apertum ·
& angelos dei ascendentes · & descendentes super
filium hominis ·

F

Et die tertio · nuptiae factae sunt in cana galileae ·
& erat mater ihu ibi · vocatus autem & ihs · & discipuli
eius ad nuptias · & deficiente vino · dicit mater ihu ad eum ·
vinum non habent · & dicit ei ihs · quid mihi & tibi est
mulier · nondum venit hora mea · dicit mater eius
ministris · quodcumque dixerit vobis facite ·
erant autem ibi lapideae hydriae sex positae
secundum purificationem iudaeorum · capientes singulae
metretas binas vel ternas · dicit eis ihs · implete hydrias
aqua · & impleverunt eas · usque ad summum · & dicit
eis ihs · haurite nunc · & ferte architriclino · & tulerunt ·
ut autem gustavit architriclinus · aquam vinum factam
& non sciebat unde esset · ministri autem sciebant ·
qui hauserunt aquam · vocat sponsum architriclinus ·

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscbibl93/0256